

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

Sectio II

urn:nbn:de:bsz:31-105555

ultimam mortis horam prorogari. Jam vero ex allegatis exemplis evictum est prius, ergo & consequitur posterius.

§. XVI.

Quibus in hunc modum confectis, illud VI. sedulo monendam, ne quis hac assertionem nostram quoddam securitatis asyllum adornari putet, ad quod se recipiant contumaces, ubi ad agendum pœnitentiam impelluntur. Nam 1.) Διλονία τῆς πœνιεντίας non minus legis severitatē, quam Evangelii dulcedinem, exposcit: ne mentibus securis per omissionem officii Legalis frigida suffundatur: pavidis autem, vel dubitationis vel desperationis somenta suppedirentur. 2.) Dilationem pœnitentiæ, nemo bonus non detestatur, quippe quod Deus hominem privare usu rationis, ex vivis eripere, & innumeris casibus τὸ *Hodie* *Pf. 95, 6.* finire, adeoque in præsentissimum animæ periculum conjicere potest: *Quis vobis monstravit, fugere a ventura ira? jam enim securis ad radicem arboris posita est; facite ergo fructum dignum pœnitentia. Matth. 3, 7.* 3.) denique multos esse impœnitentes, qui subinde deteriores fiant, & ad finem usque vitæ sub ira Dei maneant; iterum a nobis minime negatur: sed an his ad pœnitentiam, sic intercerpta sit via, ut per decretum judiciale Deus nolit ipsis conversionis gratiam restituere, id in præsentem disceptatur. Quæstio itaque, ut rem paucis complectar, huc redit: *An peccatori, dum vivit, ad Salutem pateat, per pœnitentiam aditus; vel potius termino quodam peremptorio longe ante obitum hinc excludatur?* Affirmamus quæsitum prius; posterius vero, ut heterodoxum ac damnabile repudiamus.

SECTIO II.

§. I.

EXplicatis iis, quæ ad statum controversiæ pertinebant, de
i. sis

ipsis causæ nostræ præfidiis circumspiciendum est, Ac initio quidem Harmoniam ostendere juvat, quæ huic sententiæ cum Hæreticis & Schismaticis, priorum temporum, intercedit; ut adeo, vel ex toties repetito Ecclesiæ consensu, orthodoxam hanc fidem esse, & omni tempore assertam, demonstramus.

§. II.

Ac I. quidem *Novatianismum* involvit hæc illorum assertio, jam olim ab Orientali æque ac Occidentali Ecclesia profligatum, & denuo *Art. XII. A. C.* rejectum. De Novatiano sic scribit Cyprianus: *Ille post Dei traditionem, post connexam & ubique conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conatur Ecclesiam facere, & per plurimas civitates, novos Apostolos suos mittit, ut quadam recentia institutionis suæ fundamenta constituat; cumq; jam pridem per omnes provincias & per urbes singulas ordinati sint Episcopi, in ætate antiqui, infide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti: ille superbos, creare alios Pseudo Episcopos audet, quasi possit aut totum orbem novi conatus observatione peragrare, aut Ecclesiastici corporis compaginem, discordia suæ seminatione, rescindere. Lib. IV. Ep. 2. Opp. p. 117.* Jam ipsamet dogmata conferamus. Dissidentes semel iterumque lapsis gratiæ & misericordiæ spem denegant, ut constitit *Secl. I. §. 5. 6.* Idem vero ipsum Novatiani, & palmarium quidem dogma erat: quod velex inscriptione libri, quem Cyprianus eidem opposuit *Lapsis spem veniæ non esse denegandam, elucescit. Vid. Opp. p. 500.* Sic autem in eodem tractatu pergit: *Novatianus non tantum, sicut Sacerdos vel Levites, jacentem vulneratum præterit, sed ingeniosa ac nova crudelitate sauciatum potius occidit, adimento spem salutis, (quasi terminum peremptorium dixerit) denegando misericordiam Patris, respuendo penitentiam fratris. Ibid. p. 501. Tu, Novatione, nullam*

*nullam spem pacis ac misericordia habere lapsos, predicat. Ibid. p. 506. Unde misericordia hostis, & interfector pœnitentia eidem dicitur. ep. 1. p. 2. Porro nostri illi tradunt, lapsos ne quidem posse recipi in gratiam & converti. vid. §. VI. Gemina plane refert Epiphanius de Novato: (hunc enim distinguunt Autores a Novatiano) *μετὰ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι παραπεπληγότες: i. e. Post Baptismum, Lapsos non amplius posse misericordiam consequi. Heres. LIX. p. 493. Ulterius: Nostri tantum ea urgent, quæ Lex de exitio Salutis minuitur; & quod Evangelium de Gratia & Salute promittit, prætereunt; ut supra patuit. Atque hoc ipsum in Novatiano damnat Cyprianus: *Quanam est tua, Novatiane, dementia, ut illa, quæ ad exitium salutis pertinent, tantum legas, & quæ ad misericordiam, prætercas? Opp. p. 504. Sed discrimen aliquod exquisiturus Auctor Tr. Se, inquit, non de omnibus perinde, ut Novatiani, sed de quibusdam saltem, & illis quidem Procreticis & præfractariis peccatoribus, suam assertam velle hypothesein. p. 272. At cur in hoc dissentit a Magistro suo, qui de Lapsis generatim pronuntiat: Ich halte davor / daß die Busse der Gefallenen bey einem Menschen so gar oft nicht wiederholet werde. It. Schlagen wir die Bewegung des H. Geistes einmahl aus / sind wir nicht gewiß / ob er ein ander mahl wieder kommen / und uns anwehen werde. ut supra. Eadem objectio Novatianorum erat: *Sed ajunt, inquit Ambros. se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Autor vestri erroris Novatianus ait; qui nemini pœnitentiam dandam putavit. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, qua solvenda a vobis putatis, & qua sine remedio esse arbitramini; sed NB. Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promissit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus, sine ulla exceptione, concessit.****

D

Ambro-

Ambrosius *Lib. 1. de Pœnit. cap. 2. T. 1. Opp. p. 153. edit. Basil.*

§. III.

Deinde Novatorum hypothesis ipsum Photinianismum reducit in Ecclesiam. Omnia invicem congruunt exacte. Novatores remissionem peccatorum denegant lapsis, etiamsi peccata deplorent. *vid. supra: §. VI.* Sed idem Smaltzii, Socinianorum primicerii, commentum est: *fi: i potest, inquit, ut pœnitentiam aliquis serio agit, hoc est, peccata serio deploret, & tamen remissionem peccatorum non reperiat* apud Franzium, in *Vindiciis, Disp. X. Sect. 4. num. 40.* Nostri inquam: indurationem ipsius Dei obstare, quo minus peccator possit resipiscere: *Vid. §. VII.* Idem Smaltcius ante illos docuit: *Deum nonnullos ita obdurare, ut non possent resipiscere, vel ad se converti:* apud Franz. *l. c. n. 56.* Novatores id perpetuo obtendunt, hoc illo de gratia præconio, viam hominibus aperiri ad securitatem. Sed in eodem quoque accusantur Ecclesiæ nostræ a Photinianis: *Quod doctrina nostra de remissione peccatorum, præsertim iteratorum, portam aperiat, ut homines fiant hypocrita & mali:* apud Franz. *l. c. sect. III. §. 18.* Conf. B. Scherz. *Coll. Anti-Soc. p. 792.* Plura in præsentibus cumulare non libet.

§. IV.

Porro III. ipsa hæc assertio *Reformatorum* est, & omnium illorum, qui absoluto decreto patrocinantur. Non quidem allegabo veteres illos, a quibus ipsi discedunt Successores; sed unum alterumque heterodoxiæ specimen ex recentioribus excerpam, unde suo quisque iudicio; de Harmonia utriusque sententiæ facile iudicaverit. Sic Ludovicus de Dieu, & Melchior Leydeckerus inquam *Deus ab æterno ex lapsis hominibus quosdam absoluto decreto reprobat: i. e. ad damnationem posuit,* (en quam aperte

aperte absolutum illud decretum defendant) quia multis negat Deus media Salutis: Ergo & salutem, Ut 1.) Verbum suum, Ps. 147, 20. Act. 16, 2. (2) cognitionem Mysteriorum, Matth. 11, 25. 13, 11. (3) Eisdem, Job. 19, 26, 2. Tbess. 3, 2. (4) Preces Christi, Job. 17, 9. in Apb. Theol. p. 43. Ita, ex denegatione gratiæ divinæ, colligunt Reformari absolutum decretum. Jam, quia etiam Novatores nostri Deo hujusmodi gratiæ denegationem affingunt, & quidem per terminum quendam peremptorium; judicent cordati: annon absolutum decretum, novo quodam præsidio, fulciant, ut ut illud videantur negare velle; Sed adeo non negant, quin aliquando satisclare id affirmant. Nam auctor Tr. sigillat, ac rejicit Nostratum thesin, qua statuunt; Reprobationem acquiescere, non in absoluto Dei decreto, sed in prævisa finali excussione gratiæ, & incredulitate ad finem usq. vitæ. p. 165, 313. Nunquid hinc patrocinium absoluti decreti non cognoscas? Distinguunt Reformati inter vocationem externam atque internam: & illam quidem inutilem ad salutem, sine hac, esse dicunt; neque tamen hanc ipsam Deum omnibus in tempore indulgere. Data etiam universalitati vocationis externæ, siue verbalis etiam, per ultionem $\sigma\upsilon\chi\chi\alpha\sigma\tau\omega$, ne sic quidem sufficientis gratiæ universalitas concludi potest, quum vocatio externa inutilis sit ad salutem, sine persuadente, jubens, sine trahente, oblativa gratiæ, sine collativa: quum sine flexa anima & verticordia vi, sine tractu Patris, nemo possit venire ad Christum, Job. VI, 44. quem tamen tractum, NB. nec indulget Deus omnibus in tempore, nec indulgere ab æterno decrevit. Spanhemius disp. de gratiâ universali p. 57. Plura hujusmodi vide im Gründl. Beweis Facult. Theol. Witzb. p. 440. seqq. Sed, en Harmoniam, haud ita obscuram. Des HErrn Stimme kan einst aufhören/ ob schon noch äusserlich geprediget wird/ weil keine innerliche

innerliche Bewegung noch rechter Eindruck ins Herze mehr ist. *M. B. p. 47. it.* Ob (ein Verstockter) auch noch länger lebt / und bey dem Gehör Göttliches Worts äußerlich bleibt / ist dennoch das innerliche Ohr des Herzens zugeschliffen / daß er nicht mehr hören noch befehrt werden kan. *Tr. p. 50. 51. conf. p. 119. 256.* Porro illi gratiam Particularem asserunt & pro ea contra Amyraldistas contendunt: *Deus domum Israelis vocavit ad resipiscentiam & vitam, innumeros non vocavit, nec sic fecit ulli genti; Ergo Propositum universale non habuit omnium & singulorum miserendi. Qui enim intendit finem, media etiam adhibet ad finem illum attingendum opportuna, vel necessaria saltem. Ad negationem illius gratia secuta fuit ignorantia jurium Dei, idq; necessario, ideoque jura ista non noverunt. Psal. CXLVII, 20. Si dicatur: saltem Deum vocatorum omnium, quos alloquitur per Prophetam, resipiscentiam velle, & vitam, adeoque non electorum tantum, concidit denuo propositum universale miserendi, & illud restringendum erit ad vocatos, non extendendum ad omnes & singulos homines, adeoque particulare erit, non universale.* Spanhemius *Exercit. p. 128. 129.* Adeandem Particularitatem gratiæ *Finitores* nostri, nolint velint, relabuntur, conferantur saltem & expendantur superius allegata. De voluntate Dei non seria, pergit Spanhemius: *Supponitur gratis: omnes, qui audiunt verbum, invitari statim ad salutem; ibid. p. 365. Multis predicatur Evangelium quibus tamen gratia Christi non offertur. ib. p. 375.* In eundem sensum, noster, quin & aliquando durius loquitur. Vide *p. 113. 148. 288.* Hoc enim per omnia ipsi solenne est, ut Calvinianorum Doctorum Tossani, Bullingeri, Pezelii, Drelincurtii, aliorumque sententias deprædicet, nostratium dicta vel refutet, vel insuper habeat.

S. V.

Præterea IV. etiam fermentum *Stengerianum* nobis denuo ista hypothesis objicit. Jam pridem enim est, cum Joh. Melchior Stengerus, Diaconus Erfurtensis, semel iterumque lapsus spem salutis, simili quodam conatu, dubiam fecit. Nam & hic statuebat, de sero pœnitentibus, quod gratiam Dei quidem in agone mortis consequi possint, sed non nisi *extraordinariam illam, raram, & insolitam, nec in verbo Dei promissam.* Ut ut ergo mitior aliquanto hæc assertio fuerit, quam Pietistarum illa; tamen a Collegiis Academicis, *Lipsiensi, Wittenbergensi, Jenensi, Giessensi,* quin & a Ministeriis celeberrimis: *Ratisbonensi, Augustano, Ulmensi, Hamburgensi, Luneburgensi, Coburgensi, &c.* laudabili zelo discussa, unanimique omnium consensu profligata est. Quorum adeo consilia, si denuo a nobis efflagitentur; (plerique enim huius rei testes adhuc superant) dubium non est, quin pari constantia fidei, pro orthodoxa causa sint pronunciaturo. Præclare autem de Ecclesia meritus est CL. Hartnaccius, qui solidissima hæc Responfa diligenter collegit, ac peculiari libro edidit, nec non doctissimis scriptis ipse fanaticum hoc *βδελύγμα* oppugnavit. Unius autem Ministerii Francofurtensis cum obstaret consilium, auctore D. Spenero pro Stengeri causa editum, dignum se vindice, hunc nodum censuit B. D. Musæus, Theologus a Judicii acumine celebratus; ac proinde spisso Tractatu, qui inscribitur: **Gründlicher und ausführlicher Bericht von der Busse/ & Stengerianum hunc errorem confutavit, & simul *Πλαγία* Spenerianas discussit.** Quod certe vel ideo reticendum non fuit, ut intelligeret Ecclesia, nihil novi hic venditari, aut quoddam majoris illuminationis specimen produci, ceu Mimus ille noster insolentius jactitat, sed

veterem recantari cantilenam, & fordes ex Ecclesia pridem extrusas, novo saltem integumento, ad fallendos simplices, exornari.

§. VI.

Verum de his satis, & forte plus quam satis. Nunc igitur ad ea Scripturæ oracula properandum, quæ orthodoxam sententiam plenius adstruant ac confirment. Nam præclare Ambrosius contra Navatianos observat: *Verbum Dei gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur injuriam: Quod est miserationis, exaggerat, quod ultionis, extenuat. Lib. 1. Pæn. c. 11. p. 153.* Ex tanto igitur gratiæ divini thesauro, unum atque alterum velut talentum deperire libet. Ac I. quidem urgemus classicum illud Prophetæ oraculum: *Quando impius adversus fuerit ab omnibus peccatis suis, quæ fecerat, & custodiverit omnia statuta mea feceritque judicium & justitiam; vivendo vivet, non morietur. Omnes prevaricationes quas fecit, non in recordationem venient illi; in justitia, quam operatus est, vivet. Num volendo volo mortem impii: dictum Adonai Jehovi: nonne, ut convertatur a viis suis & vivat. Ezech. XVIII, 21. 22. 23. cap. XXXIII, 11.* Ubi observes 1.) Dei convertentis ardentissimum desiderium: id quod declarat α) triplici interrogatiōne: num volendo volo mortem impii? nonne ut convertatur a viis suis? quare moriemini, o domus Israel? vers. 31. quæ proinde fortius negant, & a Deo remonent omnem causalitatem perditionis humanæ, sensumque hunc categoricum reddunt: *Non volo mortem morientis. v. 32.* β) sanctissima religione juramenti: אֲנִי אֵלֹהִים אֲדֹנָי אֲדֹנָי vidus ego: q. d. quam verum est, quod vivo, tam certum quoque, quod nolo mortem impii: cum enim non possit per majorem quenquam jurare; jurat per se ipsum, dicente Apostolo. *Hebr. VI, 13. γ)* formula asseverationis solenni: אֲדֹנָי אֲדֹנָי אֲדֹנָי dictum adonai

Adonai Jehovi. b. t. & alibi. 3) feria denique cohortatione: convertimini ergo, convertimini ab omnibus prevaricationibus vestris. v. 30. Unde fluit argumentum: Quicumque conversionem peccatoris tanto desiderio anhelat, ut illud triplici interrogatione, ipsaq; religione juramenti, formula asseverationis solenni ac ætæque feria cohortatione confirmet; illius gratia in convertendo peccatore, dum peccator in via est, nullo termino peremptorio desiniri potest. Atqui DEUS &c. Ergo. II. Observes subjectum convertendum. Quod h. l. quivis impius est, quocumque peccati genere notatus: quandoquidem omnibus illis vocibus describitur, quibus minima maxima peccata, in S. literis exprimentur; ut: חטא v. 4. 14. 20. 21. עול v. 8. תועבה v. 13. עון v. 19. 20. רשע v. 20. 23. פשע v. 24. מעיב. Namque inter hæc peccata erant: idololatria adulterium, oppressi pauperum, rapinæ, cædes, &c. adeo ut de remittendis illis Israelitæ dubitarent, gratiamque præclusam dicerent: peccata nostra super nobis sunt, & in iis nos contabescimus, quomodo ergo vivimus? c. XXXIII, 10. Sed his nihil obstantibus, a) Deus per Prophetam illis gratia conversionis annunciari curat. Dic tamen ad eos: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat: convertimini ergo, convertimini. v. 11. 3) gratiam Justificationis adhuc paratam esse testatur: omnes prevaricationes non venient in recordationem. v. 22. 7) & quidem eo usque offert: donec in peccatis moriantur, v. 24. Est autem mori in peccatis, stilo scripturæ nihil aliud, quam morte temporali & æterna perire. Sic de Saule: mortuus est במעיב in prevaricatione sua. i. Paral. X, 13. Et de hypocrita Deus inquit: in perversitate sua, quam fecit, morietur. Ezech. XXXIII, 13. Conf. Prov. X, 21. Hinc iterum concludimus: Quibuscumque Deus & gratiam Conversionis, & Gratiam Justificationis u. g. ad ipsum mortis tempo-

temporalis & aeterna momentum offert, illos ab aditu gratiae, quoad vivunt, minime excludit. Atqui Peccatoribus, quancunque flagitii reis, ut Idololatriis, adulteris, raptoribus &c. Deus gratiam Conversionis & Justificationis usq. ad ipsum mortis temporalis & aeterna momentum offert, Ergo. Vel brevius ita: Quicunque ad poenitentiam a Deo invitatur, illis janua gratiae non est praclusa: Atqui omnes, etiam atrocissimi peccatores, Ergo. Observes III. tempus gratiae, ante mortem, indefinitum. Id quod ostendit a) Particula ׀, quae tamen aliquando conditionalem significationem admittat; tamen, cum hoc loco communitaria sit, & praeterea, per ב cum Infinitivo junctum, בשׂוּב, in convertendo, saepius commutetur v. 24. 26. 27. itemque per בׂוּב in die c. XXXIII, 12. sensum haud alium inferre potest, quam hunc: quando, vel quocunque tempore impius recesserit a peccatis, eo ipso vivendo vivet & non morietur v. 21. 27. Vide Hakspan, in Not. Philol. P. 2. p. 829. 6) Tempus gratiae eo usque durat, donec finitur morte aeterna. Ideoque Deus peccatoris conversionem tam diu vult, quam diu non insequitur mors aeterna: Nolo mortem peccatoris v. 32. scilicet aeternam, quia per poenitentiam & conversionem non effugimus mortem temporalem, sed utique aeternam. Itaq. denuo argumentamur: Qui, quancunque, convertuntur, vivendo vivent & non morientur, illis per totum vitae spatium aditus ad gratiam & salutem patet: Atqui impii & malitiosi peccatores quancunque, convertuntur &c. Ergo. Denique & hunc in modum colligimus: Quicunque, non vult mortem peccatoris aeternam, ille peccatori usq. ad mortem aeternam spatium conversionis gratiosa largitur: Atqui Deus Ergo. Equidem Grotius hunc locum non ob stare putat, quin sit apud Deum limes aliquis misericordiae. Sed & hunc gratiae Evangelicæ hostem graviter redarguit B. Calo.

Calovius; De Limite misericordiae Dei, nihil in scripturis: (audi iudicium Summi, & in Scripturis versatissimi Theologi) qua undiquaq; misericordiam Dei summam, nullumq; finem habentem depradicant; nusquam limes ei figitur, sed vocem Dei nos gratiose vocitantis audire jubemur, cujus finis est nostra gratiofa conuersio. Adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Pharaon excitatus viva voce & miraculis ad pœnitentiam fuit. NB. ad extremum vitæ terminum. Nam etiam tunc, ubi transire per mare rubrum sicco pede videbat Israelitas, NB. adhuc tempus erat, ad sanio rem mentem redeundi, a persecutione eorum desistendi, & contra Deum belligerandi. Neq; Cananai, absoluto aliquo decreto, a misericordia exclusi erant, quin potuerint visis & auditis miraculis sese humiliare, & gratiam consequi, quod exemplo Rahabi & Gibeonitarum constat. Bibl. Illustr. ad h. l. p. 527.

§. VIII.

Secundo, oraculum Apostolicum pro orthodoxa causa maxime militat: An divitias bonitatis Dei & tolerantia lenitatisque contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te invitat? Rom. II, 4. Apostolus I, compellat, Gentiles æque ac Judæos; id quod tum σὺνέχεια, cum præcedente capite v. 14. 15. seq. tum generalis appellatio: o homo, v. 1. b. cap. ut & distributio in Judæos & Gentes v. 9. 10. ad oculum ostendunt. Illi scelerum convicti erant; hi autem nihilo sanctiores, condemnabant ceteros, & ideo duplo erant pejores. Nam gloriabantur de Lege: & tamen per legis transgressionem Deum offendeabant. v. 23. Inter Gentiles erant: Idololatræ, iniusti, scortatores, incestuosi, dolosi, avari, obrectatores, Dei osores, quin & traditi in sensum reprobum, ac digni morte æterna, c. 1. 2. 4. 25.

E

seqq.

seqq. Inter Judæos vero: qui docebant alios, seipfos non docebant, qui predicabant non furandum, & furabantur ipsi: dicebant, non adulterandum, & adulterium committebant, cap. 11, 20, *seqq.* Ecquis, his ipsis per hypothesin fanaticam, non terminum gratiæ & salutis decrivisset? & tamen obvias habebant divitias bonitatis, tolerantia & lenitatis divine: & tamen a bonitate Dei ad pœnitentiam invitabantur. *b. t.* Nam ex Gentilibus Apostolus dicit, ablutos sanctificatos & iustificatos fuisse per nomen Domini JESU, qui antea fuerant scortatores, idololatra, molles, ebriosi &c. 1. Cor. VI, 10. 11. Ex Judæis vero non minor multitudo ad Christum conversa fuit: vides frater, quot millia sint Judæorum, qui crediderunt. Act. XXI, 20. Ne vero a scopo recedere videar, summatim hæc connecto: Quoscumq; Deus voce Apostolica compellat, & ad amplectendas divitias bonitatis, tolerantia & lenitatis adhuc invitat, illos ab aditu gratiæ & salutis, termino peremptorio minime exclusit; Atqui, non lapsos tantum Judæos, sed & Gentiles, & illos quidem peccatores maxime enormes, Deus, Apostolica voce compellat &c. E. II. amplitudinem & abundantiam gratiæ conceptissimis verbis celebrat, eamque πλεον vocat τῆς χησότης & Θεῶ, καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας, & denique τὸ χησόν. Neque verò hæc confusam farraginem indicant, sed cumulum pulcre ordinatum. Nam χησότης se exerit in conferendis bonis, quibus Deus nos mactat: ἀνοχὴ inferendis peccatoribus, quos tolerat; μακροθυμία in instigendis pœnis, quas differt. Singula hæc συλληθὸν quasi copulat, & τὸ χησόν appellat, s. beneficium, Servatoris merito partum: in quo cum ipsa Dei Patris χησότης fundata fit, minime otiosa, aut simulatoria hæc putari debet, in procuranda hominum salute, sed maxime negotiosa ac se-

ac feria; ideoque εἰς μετάνοιαν ἄγει, ad pœnitentiam ducit. Nimirum, per Legem cor pulsat & conterit, unde *congritio*: per Evangelium reficit ac solatur, unde *fides*: quæ adeo pœnitentiam constituunt. Itaque hæc *longanimitas* Dei non tantum *dilationem pœne* & quandam ἀρνησιω, sed *operationem gratia*; adeoque τελείωσι & influxum realem infert. Nam α) vox ἄγειω operationem & assistentiam evincit, non violentam quidem, sed gratiosam & mediis divinis congruam; imo plus quam *vocare* notat, *conf. Rom. 8, 14. Gal. 5, 18. 1. Cor. 12, 21, β)* particula εἰς, terminum actionis gratiosæ arguit, ducentis εἰς μετάνοιαν. Sic Deus *custodit nos εἰς σωτηρίαν 1. Petr. 1, 3.* & μακροθυμεί εἰς ἡμᾶς, *longanimus est in nos, 2. Petr. 3, 9.* Ideoque hanc μακροθυμίαν, & *longanimitatem Domini*, perinde ac *salutem ipsam aestimare*, nos jubet Petrus *l. c. vers. 25. 1. Tim. 1, 16.* Sed γ) quo usque circa hominis salutem operatur illa? respondet textus: usque ad *judicium hominis ultimum, quo unicuique Deus pro factis sit redditurus; obedientibus quippe gloriam & vitam aeternam; refractariis indignationem & iram. v. 5. 6. 7. 8.* Atque hoc, nervosa oppositione, θησαυρίζω collectionem ira, vocat: nec id Deo adscribit, sed homini ipsi: *juxta duritiam tuam, & cor impœnitens colligis σιωπῶ tibi ipsi iram in die ira, quo patebit justum judicium Dei, v. 5.* Itaque sic argumentamur: *Cujuscunque longanimitas tam ampla & adundans est, ut circa contumacissimos etiam peccatores convertendos, gratiose occupetur, & usq. ad ultimum hominis judicium operosa sit; illa minime vel liganda, vel termino quodam fatali perimenda est. Atqui Dei longanimitas tanta est &c.* Ergo. Qui contrarium asseruerit, hostis erit misericordiæ, peremptor pœnitentiæ, & ut verbo dicam: Novatianus.

§. IX.

Constanter autem III. ad universalitatem Misericordiae provocamus; qua invitantur omnes ad amplectendam ubertatem gratiae, in Servatore paratae. *Heus, omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite &c. Esa. LV, 1.* Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. *1. Tim. II, 4.* *Patiens est Deus erga nos: dum non vult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere, 2. Petr. III, 9.* Ex quibus, & similibus oraculis fundamentum salutis catholicum hoc constituitur: Deum a) omnes homines, b) omni vita tempore, c) omni terrarum loco, velle salvos fieri, & d) ordinatis mediis ad agnitionem veritatis pervenire. Primum & ultimum loca modo adducta evidenter probant. Cetera vero, peræque manifesta sunt: *Nam, Deus expledit manus suas toto die (i. e. toto vitæ tempore, seu, quo usque in via ambulat) ad populum rebellem, qui ambulat in via non bona Es. LXV, 2.* *Misericordia Dei non finita sunt, nec consumpta miserationes ejus, sed nova sunt omni mane, Tbren. III, 22, 23, conf. Matth. XX, 8.* E. per omne spatium vitæ. *Deus annunciat hominibus, ut omnes, πανταχῶ ubiq; respiciant. Act. XVII, 30.* E per omnem terrarum orbem. Jam si fingas, Deum nec omni vita tempore, nec omni terrarum loco, salvos velle homines, sed termino quodam ætatis definire illorum conversionem & salutem; corrumpet sane fundamentum salutis, & perinde labefactabitur, ac universalitas *Subjectorum* infringitur assertione absoluti decreti. Nam sic nemo concipere fidem poterit ex propositione universali; cum magna, ne dicam maxima hominum pars, circa finem vitæ demum serio de peccatis doleat; Sic nemo vel Gentilium vel Judæorum, ac ne ipse quidem

quidem Paulus de impetrata misericordia poterat esse securus: quia juxta cum aliis Gentilibus & Judæis fuit *blasphemus, & persecutor, & violentus*. Sed misericordiæ & longanimitati semper patulæ, id tribuit: *Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Jesus Christus πᾶσαν μακροθυμίαν, ad sistendum exemplar iis, qui deinde credituri sunt in ipsum ad vitam æternam. 1. Tim. 1, 13, 16.* Sic frustra militem in acie constitutum, frustra tentatum, frustra datum ad supplicia, soleris, ac Verbo Evangelii erigas: quia regerent omnes: elapsum esse gratiæ terminum, actum de salute sua esse & conclamatum. Sed o barbaram & horrendam doctrinam, quæ hominem in barathrum æterni exitii agit præcipitem!

§. X.

Frustra etiam IV. Ministerium sacrum, lapsos ad pœnitentiam cohortatur: cur? quia in amplissimo auditorum cœtu, ne unus quidem futurus est, qui semel iterumque & sæpius lapsus se non fateatur, vel certe fateri debeat: *peccata quis intelligit? Psal. XIX, 13.* Jam per hypothefin fanaticam, termino peremptorio exclusos a Dei gratia dixerimus omnes: Nec Legis adeo nec Evangelii vistanta fuerit, ut converti amplius queant. Ac proinde frustra Paulus Corinthios alloquitur: *Deo obsecrante per nos, rogamus pro Christo: reconciliemini Deo. 2. Cor. V, 20.* Cum tamen inter hos conspiceret mœchum enormem, quem ipsum sigillatim in gratiam receptum volebat. *cap. VII, 8, 9. Vid. Cyp. Lib. IV, Ep. 2, p. 118.*

§. XI.

Præterea V. ipsum salutis centrum, h. e. Meritum Christi, hæc ferit assertio. Scribit Joannes: *Filioli mei ne peccetis: Sic Legem tractat etiam apud regegnos, ceu*
E 3 filiolos

filiolos suos : at si quis tamen peccat ; advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum , justum : Sic Evangelium inculcat , quippe quod etiam post terminum preemptorium , adhuc advocatum admittit , qui causam peccatoris peroret . Itaque si fero pœnitentes dicant : *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* : respondet illud for gratiæ : *Das Verdienst und Fürbitte Christi soll aller solcher Leute Nothnagel seyn .* Sin pergant contriti corde ; *ipse est propitiatio , non pro nostris tantum , sed etiam pro totius mundi peccatis* : iterum prosternit hanc fiduciam Sectarius : *Es ist mit dem Sünder dahin kommen / daß ihm nicht mehr zu helfen stehet .* Contendit Apostolus *quis ille , qui condemnet ? Christus est , qui mortuus est , qui , & suscitatus est , qui & sedet , ad dextram Dei , & interpellat pro nobis . Rom. VIII, 32. 33 .* Sed respondat Antesignanus : *Christus bittet nicht mehr weiter vor einen solchen : nachdem Christi Fürbitte aus ist / hilfft keine andere mehr . Pro quibus ergo Christus interpellat Ambrosii verba sunt , eos Novatianus accusat : quos Christus ad salutem redimit , eos Novatianus damnat ad mortem . Quibus Christus dicit : tollite jugum meum super vos , & discite a me , quia mitis sum ; Novationus dicit : immitis sum . Quibus Christus dicit : invenietis requiem animabus vestris , jugum meum suave est , & onus meum leve ; his grave onus & durum imponit jugum Novatianus Lib. 1. de Pœnit. c. II. p. 154 .*

§. XII.

Denique VI. tollitur discrimen inter peccatores dum in via sunt , & inter ipsos mat damnatos atque diabolos . Hi enim sunt exclusi ab omni spe gratiæ : his demum interceptus est ad misericordiam reditus . 2. Petr. II, 4. Luc. XVI, 26. Illis vero adhuc pœnitentiæ spatium indulgetur

getur usque ad mortem : ut ne quinque fratribus quidem denegetur : *habent Moſen & Propbetas, audiant illos, ibid.* Sic cœlum cum inferno, & gratiam cum æterna ignominia confundunt.

§. XIII.

Jam sub examen revocanda erant, Scripturæ loca, quæ magno conatu depravata & in sequiorem sententiam detorta sunt. Et fateor animum fuisse, singulari Sectione hanc telam pertexere. Sed negotium ingressus, mutavi animum, cum operæ istius pretium non deprehenderem. Sic 1.) *Prov. 1, 24. seq.* Sapientia hypostatica impiis toties vocatis, denegat auxilium in tribulatione : Ergone a gratia & salute excludit ? 2.) *Hiob. 33, 29.* Elihu loquitur de vicissitudine calamitatum & liberatione ex illis ; quæ piis etiam in hac vita tribus vicibus, i. e. aliquoties, contingat : sed quæ hinc ad terminum salutis collectio ? 3.) *Jer. 7, 16, 11, 14, 14, 11, 15, 1.* *Ezech. 14, 14.* Deus impœnitentibus sub pœna temporali, denegat exauditionem precum & intercessionum : Sed hoc ipso non præcludit iis ad pœnitentiam reditum, quia de conditione impœnitentiæ hæc tantum intelligenda, *Quod si conversa fuerit gens ista a malitia sua, pœnitabit me super malo, quod cogitavi facere illi. Jer. XIII, 8.* Ideoque Jeremias pro iis intercedit, *cap. XIV, 19.* Hinc instar Regulæ est illud : *si Justitias meas profanabunt, tunc visitabo in virga iniquitates eorum ; misericordiam tamen meam non dispergam ab iis. Ps. XXCI, 32, 33, 34, 4.* *Luc. XIII, 7.* Parabolam de ficu per triennium sterili & ideo succisa huc trahunt. Sed Parabola docet : Deum ad ultimam usque

usque ætatem ab homine expectare fruges, addente Gerhar-
do: *Non de cuiusquam salute temere desperandum, eum Christi intercessione etiam in ultima mortis hora quis con-
verti possit.* Harmon. T. I. p. 1208. Reliqua ne tango qui-
dem, sed ad publicam συζητησιν remitto, & Pl. Reverendo
Candidato discutienda relinquo.

§. XIV.

Unum illud superest, quod Orthodoxorum consen-
sum tam proterve objiciant, & Lutheri, Gerhardi, Fran-
zii, Danhaueri, Carpzoviorum, Pfeifferi, aliorumque
autoritate, fulcire deploratam causam conentur. Ve-
rum priores omnes ita vindicavit D. Musæus in Tr. An-
ti-Stengeriano, ut, si quis eo acquiescere nolit, ne ver-
bo quidem dignus sit, nedum prolixa refutatione. De
ceteris nihil addo, nisi hoc unum: *Mortuis Leonibus vel
simidos insultare.* Aliud enim est, similem quandam phra-
sin ex Legis rigore adhibere, aliud fontes simul Evan-
gelicos turbare, & suborto certamine heterodoxiam
propugnare; id quod a Theologis tam cor-
datis ac solidis semper fuit
alienum.

S. D. G.